

welcher muß den Himel einnehmen biß auff die zeit, da erwieder bracht werde alles, was Gott geredt etc.“¹⁰

Haec igitur uerba (Quem oportet coelum accipere) aliter nunquam in uera ecclesia nisi de exaltatione naturae in Christo humanae siue de seßione Christi
 5 ad Patris omnipotentis dexteram accepta et intellecta fuerunt, ut erudita antiquitas et consensus omnium sanorum comprobant: quae quidem seßio non est in certum in coelo siue in coelis locum collocatio aut alligatio, sed est
 πᾶσα ἐξουσία donata glorificatae et exaltatae in Christo naturae humanae. Ascendit enim Christus ad coelos, id est, ut Augustini uerbis utar, „conditionem naturae quam de hominum matre [A 3v:] natus assumpsit“,¹¹ super coelos in dexteram Dei Patris collocauit. Dexteram autem Dei, ut Athanasius et
 10 Basilius categorice, euidenter ac uerissime interpretantur, non circumscriptum quid significat, neque locum aliquem uel inferiorem uel physicum, qui sit spacium continentis corporis cedentis contento, sed significat statum
 15 aequalitatis, maiestatem scilicet, gloriam et honorem Dei, ad quem Christus secundum humanam suam naturam est translatus.¹²

Damasc. lib. 4 Orthodoxae fidei cap. 2: „A dextris Dei Patris sedere dicimus Christum σωματικῶς, uerum non localem dexteram Patris dicimus. Quomodo enim is, qui ἀπερίγραπτος est, localem habeat dexteram? Localis enim
 20 dextera et sinistra eorum existunt, quae circumscribuntur. Dexteram igitur Patris intelligimus gloriam et honorificentiam deitatis, in qua Dei Filius ante secula existens ut Deus et Patri ὁμοούσιος, in nouissimis temporibus incarnatus est et corporaliter sedet conglorificata carne eius.“¹³

Chrysost. Heb. 1: „Sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. In excelsis,
 25 dicens, non loco concludit Deum, sed ostendit hominem Christum omnibus altiozem et eminentiozem.“¹⁴ Idem: „Ascendit supra omnes coelos, ultra quos quoque nihil est aliud. Hoc uidelicet est potentiae et dominationis ipsius.“¹⁵

[A 4r:] Ebrae. 7: „Excelsior coelis factus est.“¹⁶ Hic coelos non corporeas
 30 machinas tantum intelligimus, quibus sublimior est factus etiam secundum humanam naturam (ut ipsius etiam Oecolampadij interpretatione utar), quia secundum diuinam naturam exaltari non potuit, sed etiam omnes angelos et sanctos. His enim omnibus superior, in ipsum paternum solium sua carne (nam Deus uerbum semper extitit coelis sublimior) consedit, ut Oecumenius

¹⁰ WA.DB 6/1, 428f.

¹¹ Vgl. Augustin, Sermo CXCIV. In natali Domini, in: PL 38, 1017f.

¹² Vgl. Athanasius, Contra Arianos I, 61, in: PG 26, 140f; Basilius von Caesarea, De spiritu sancto VI, 15, in: PG 32, 8993 (SChr 17bis, 290–296).

¹³ Johannes Damascenus, Expositio orthodoxae fidei LXXV, in: PG 94, 1104 (PTS 12, 173,1–9).

¹⁴ Johannes Chrysostomos, Homilia II super epistolam ad Hebraeos, in: PG 63, 24.

¹⁵ Johannes Chrysostomos, Homilia II super epistolam ad Hebraeos, in: PG 63, 24.

¹⁶ Hebr 7,26.